



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Bibliotheca Scriptorvm Sacri Ordinis Cisterciensis Elogiis
Plvrimorvm Maxime Illvstrivm Adornata**

Visch, Charles de

Coloniæ Agrippinæ, 1656

Capvt IV. Solutio, Præmissorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38433

ceptus est de Dei flamine, & ideò dicunt, ipsum non fuisse passum, vel mortuum, nec à mortuis suscitatum; sed afferunt, loco sui alium hominem posuisse, cum Iudei vellent eum cruci affigere; quod ita nituntur afferere: si Christus de statu diuino conceptus est, sicut status diuinus incorruptibilis est, ita Christus impassibilis. Præterea, indecens est etiam Christum de statu diuino conceptum, & sic quodam modo Dei filium crucis subire patibulum.

CAPUT IV.

Solutio Premissorum.

AD hoc dicendum, quod Christus secundum quod Dei Filius est, nec passus, nec mortuus, nec suscitatus est, sed secundum infirmitatem humanæ naturæ, quam assumpsit de Virgine. Quia ipse si carnem assumpsit, aut passibilem habuit aut impassibilem? Si impassibilem, vnde eam assumpsit, cum omnis caro passibilis esset; si passibilem assumpsit, pati & mori potuit, & ex diuinitatis virtute à mortuis resurgere. Sed caro Virginis passibilis erat, & ex illa passibili carnem assumpsit, & sic passibilis fuit. Quod autem Christus Dei Filius fuerit, & secundum hoc immortalis, & Filius Virginis, & secundum hoc mortalis, diligenter superius probatum est; & quod Christus passus, mortuus, suscitatus, superius varijs probauimus auctoritatibus; & sic Christus quod mortem subiit secundum carnis infirmitatem, non hoc reputauimus Christi miseriā, sed dignationē, ex lumma Dei misericordiā & dignatione fuit, quod Christus carnem assumpsit: mortem subiit, non quod hoc meruisset, sed ut à morte nos per mortem redimeret. Sic enim Rex alias miseratus serui sui iacentis in luto, lurum intraret, ut seruum liberaret, non hoc adscribere-

tut miseria Regis, sed dignationi.

CAPUT V.

Opinio Paganorum, qui dicunt homines in æternâ beatitudine cibo & potu materiali reficiendos esse.

Dicunt etiam prædicti Pagani, in æterna beatitudine homines materiali cibo & potu reficiendos esse; quod auctoritatibus conantur probare: aiunt enim Deum Iudæis, si benè ageant, promisisse terram fluentem latē & melle; sed hoc intelligi non potest de materiali terra promissionis, quia non manat latē & melle, ergo referendum est ad paradysum, in quo Beati reficiuntur latē & melle. Et Christus promittens hanc æternam refectionem, ait, (a) *Vt edatus & bibatus supra mensam meam in regno Patris mei. Christus etiam legitur post resurrectionem fauum mellis comedisse, vt per hoc insinuerit, quod homines post resurrectionem reficiuntur melle.*

CAPUT VI.

Solutio ad premissa.

AD hoc dicendum, quod in æternâ beatitudine, non erit materialis refectio, sed spiritualis quia homines spiritualia corpora habebunt, non potu vel cibo indigentia. Quia, sicut attestante Christo, homines in Paradyso (b) neque nubent, neque nubentur, sed erunt, sicut Angeli Dei, materialibus alimentis non reficiuntur, sed erunt sicut Angeli Dei, cibo & potu non indigentes. Et Apostolus ait, quod (c) *esca & potus non sunt regnum celorum: caro etiam & sanguis Regnum Dei non possidebunt*, id est, alimenta carnis & sanguinis, in regno Dei locum non habebunt.

Ad litteram etiam de terra promissionis intelligi:

(a) *Lucæ 22. v. 30. (b) Marcii 12. (c) Ad Rom. 14. (d) 1. Cor. 16.*